

Adam Rechenberg Johann Keilhacker


Schediasma Historicum De Museo Alexandrino

Lipsiae: Literis Brandenburgerianis, 1698

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn830014543>

Druck Freier  Zugang





B6-1053^{1-31.}

Ex
Bibliotheca
Academicae
Rostochiensis

2.

3.

4.

5.

6.

7.

16.

17.

18.

19.

20.

24.

13,

Sacrae expositio Vestes, Christianus

L. D. P. V.

SCHEDIASMA HISTORICUM
DE

MUSEO

ALEXANDRINO,

QVOD

SUB PRÆSIDIO

DN.

L. ADAMI RECHENBERGI, P.P.

AC PRÆCEPTORIS SUI

venerandi,

in Academia Lipsiensi

d. ix. Nov. A.O.R. M.DC.IIC.

H. L. Q. C.

Eruditorum *Ερζητινων*


subjicit

JOH. Reithacker / Numburg.

Autor - Respondens.

LIPSIAE,

Literis BRANDENBURGERIANIS.



VIRIS
*MAGNIFICIS, NOBILISSIMIS, AMPLISSIMIS,
CONSULTISSIMIS, EXCELLENTISSI-
MISQUE*

DOMINIS
CONSULIBVS,
PRO-CONSULIB.
SYNDICO,
ÆDILIBUS,
PRÆTORIBVS,

Cæterisque
Inclytæ Reip. Lipsiensis,
Ordinis Senatorii Membris Gravisimis,
DOMINIS, MOECENATIBUS,
atque PROMOTORIBUS SUIS

submisæ colendis,

Has chartas philologicas, in observantiæ
& cultus tesseram

D. D. C.

JOH. Keilhacker / Numb.



§. I.

Hærebam nuper in Scholarum, aut si
mavis, collegiorum scholasticorum
contemplatione, in quibus eruditi
convenire, variisque de rebus lite-
rariis sermones cædere quondam
consueverunt. Obversabantur mentis meæ ocu-
lis magna palatia, quæque ob summam princi-
pum munificentiam, teste Eumenio Rhetore, glo-
riarum imperatoriarum templa audiebant. In-
gressus primo Palæstinam, non quadraginta tan-
tùm urbes animo perlustrabam, in quibus Levi-
tæ olim domicilium constituentes, operam in eru-
dienda Ebræorum juventute posuerant suam; sed
ipsas quoque Solymas, caput gentis, videre pro-
perabam. Aperiebatur ibi nobilissimum Gymna-
sium in monte Sion eminens, quod à primis sta-
tim Regibus ita fuerat exornatum, ut longe post
a Chrysofomo *διδασκαλείον Ἰησους χριστου* dictum fuerit.
Trajiciebam inde in Græciam, artium omnium
fœcundissimam matrem, Obibam *πελοποννησια*, quæ
Corinthii, Argivi, Tenedii, Eresii, Mitylenæi &
alii, Vestæ Deæ studiosæque juventutis usibus sa-
crave-

craverant. Sed prominebat inter hæc Athenien-
se illud, velut inter stellas, luna, minores, vid. *Isaac*
Casaub. Animadv. in Athen. l. XV. cap. 19. p. 992. sequ. &
Morbos. Polybist. l. 2. c. 14.

§. II.

Secundis inde ventis translatus in Ægyptum,
cùm Alexandriam, metropolim regionis, conspe-
xissem, in credibili perfundebar voluptate. Per-
fringebat primùm oculos epigraphæ numerosis-
simæ quondam Bibliothecæ, quam Osymanduas Æ-
gypti Rex, insculptam condiderat: Ἰὼς ψυχῆς ἰατρῆιον.
Ipsam Museum, quod omnium ore celebrari an-
tea cognoveram, fas erat perlustrare, Bone Deus!
quæ monumentorum πολυχρονίων copia! Quis regiæ
magnificentiae splendor! Videbar mihi literarium
quendam orbem, uno velut obtutu, contemplari.
Videbar δειπνοσοφιστῶν amplissimum quendam vide-
re confessum; audire videbar ipsos inter se sapien-
tes acutissime disceptantes, & ἀναγνώστῃς selectissima
quæque prælegentes.

§. III.

Tua igitur pace, benevole Lector, oculos hic
ulterius pascere licebit. Viam præbit mihi gravis-
simus auctor, *Strabo*, qui cùm *L. XVII. Geograph. f.*
m. 920. Alexandriam a conditore suo dictam descri-
bit, *Museum* quoque ejus delineat. Ipsum, si lubet, au-
diamus: τῶν δὲ βασιλείων μέγῃ δὲ καὶ τὸ μακρῆον, ἔχον
περί-

περίπατον καὶ ἐξέδραν, καὶ οἶκον μέγαν· Ἐν ᾧ τὸ σπουδαίον τῶν
 μέτεχόντων τὰ μυσταίαν Φιλολόγων ἀνδρῶν ἔστι δε τῆ συνόδου ταύτη
 καὶ χρέματα κοινὰ, καὶ ἱερεὺς ὁ ὄπι τῶ μυσταίαν τεταγμένῳ,
 τότε μὲν ὑπὸ τῶν βασιλέων, νῦν δὲ ὑπὸ καίσαρος. Hoc est,
 vertente Casaubono: Regiarum pars est Museum, in
 quo fuit ambulatio ad confessus exedra, & ampla domus,
 in qua simul bonarum artium studiosi homines participes
 Musci cibum capiebant. Est autem ei conventui ac so-
 dalitio, tum pecunia communis, tum sacerdos cunctis
 praefectus, olim a regibus, nunc à Cesare. A qua inter-
 pretatione, quod sensum attinet, Xylandri versio
 parum discrepat: etsi dictio diversa sit.

§ IV.

His verbis, si rectè calculum pono, tria commem-
 morat laudatissimus Geographus, (1.) ÆDEM MU-
 SARUM, seu ipsum Museum: (2.) INCOLAS, seu Convi-
 vtores literatos: (3.) SUBSIDIA atque Musci praesidem.

§ V.

ÆDIS descriptio primùm contemplanda ve-
 nit: ubi præ cæteris nomen Musci, seu τῶ μυσταίαν, δὲ τῶν
 μυσταίων appellati occurrit. Lipsius etymon hoc
 respiciens, Museum Musarum ædem significare, Syn-
 tagm. de Biblioth. recte tradit. μυσταίαν enim locus
 Musis & studiis consecratus est, in quo de artibus
 & honestis disciplinis agitur. Philostratus in vita
 Apollon, Tyanei l. IV. c. 8. μυσταίαν vocat, ubi Musæ co-
 lebantur, & responsa reddebant: quod & Pollux af-
 firmat.

A 3

§ VI.

§. VI.

Ejusmodi Museum Athenis fuit, teste *Pausania in Attic. cap. 26.* & *Træzenis, in Corintheis, cap. 31.* *Plinius, Hist. Nat. L. XXXVI, c. 21.* quando pumicum naturam explicat, Musei meminit: *Non pratermittenda est & pumicum, scribit, natura: appellantur quidem ita & exosa saxa in edificiis, que Musca vocant dependentia, ad imaginem specus arte reddendam.* Et *Lib. XXXVII, cap. 2.* de gemmis translatis in triumpho Pompeji agens, inter alia, memorat Museum ex margaritis, in cuius fastigio horologium erat. Et *Amphion Thespiensis Lib. II.* apud *Athenaeum Deipnosoph. l. XIV. f. 629.* de Museo, quod in Helicone est, accuratas fieri puerorum in Helicone saltationes, scribit: quam in rem vetustum de illo more epigramma adducit,

§. VII.

Sed locus hic Musarum, pars ipsius regiae fuit, quam regum quisque ornare aut amplificare maximopere studuit, novis operibus adjectis, ut *Strabo* testatur. Sicut & magnum urbis spatium hoc Museum, *Bruchium* dictum occupasse *Amm. Marcell. l. XXII, c. 16.* testis est. confer. *H. Valesii in b. l. not.* Principes enim & Reges generosi ac *Φιλοῦργοι* gloriae sibi duxerunt, Musarum domicilia aut aulis habere contigua, aut illa aliis in locis amoenis excitasse; ne eruditae commodae deessent sedes, in quibus Musas colerent suas. Quemadmodum hoc

eclē.

celeberrimum Museum, ejusque eruditi alumni
eximia statim ingenia excitarunt; ut Græco-
rum etiam Philosophi celeberrimi Ægyptum,
& Alexandriam, nimirum sapientiæ majoris profe-
ctus comparandi gratia, petere non dubitarint;
quod ex Græcorum Philosophorum peregrinatio-
ne satis notum est.

§. VIII.

Alexandria enim, quam Philippi Macedonis fi-
lius, Alexander M. oraculo locum per somnium
designante, condidit, ap. *Stephanum de Urbibus f. m. 61.*
Urbs ob situm & portus commoditatem, in Ægypto
omnium celeberrima, & Musis & mercatoribus
latisime per orbem patuit, hospitiumque præbuit
atque fovit, confer *Ammiani Marcell. lib. XXII. cap. 16.*
Museum hoc jam tum Ptolomæi Philadelphi tem-
pore floruisse *Athenæus lib. V. c. 8.* docet. Quis verò
Regum Ægypti extruxerit, non satis certum est.
Henricus tamen Vallesius in annot. ad *Ammian. Marcell.*
f. m. 343. Ptolomæum Philadelphum doctorum hoc
hominum collegium primum instituisse, autorita-
te Plutarchi nixus, affirmat. Id certe constat, Phi-
ladelphi tempore id maxime floruisse, & contiguam
ipsi regiæ fuisse: Quia βασιλείων μέγῃ audit; quod
regiæ pars non postrema esset. Reges enim lite-
rarum amantes in more positum habebant, ejus-
modi doctorum receptacula, differendi gratia, suis
adjungere conclayibus. Id quod de *Claudio Cæsa-*
re Spe-

re *Svetonius lib. V. c. 42.* memorat: Quarum (historiarum Græcarum,) *caussa veteri Alexandria Museo alterum additum ex ipsius nomine: institutumque, ut quotannis in altero τὸ πρῶτον libri, altero καὶ ἑξῆς ἑταίρων duobus statutis, velut in auditorio recitarentur toti à singulis per vices.* A Claudio alterum hoc adjectum *Claudium* est appellatum. Meminit ejus præter *Svetonium, Athenæus l. VI. c. 9.*

§. IX.

Ptolomæus Philadelphus autem, hoc Bibliotheca splendide decoravit, quæ multa voluminum millia habebat, De qua *H. Conringius in Epistola,* quam *de Bibliotheca Augusta* edidit, multa annotavit: quæ hic repetere non vacat. v. *Vitruvium l. VII. c. 1.* *Epiphanius* quidem in *libr. de Ponderibus,* duas ait, publicas fuisse bibliothecas *Alexandriæ:* primam in *Bruchio* à *Ptolomæo Philadelpho* constructam: secundam longo post tempore ædificatam esse in *Serapeo,* quæ & priori foror dicebatur. De qua etiam loquitur *Tertullianus in Apologet. cap. XVIII.* *Hodie,* inquit, *Ptolomæi bibliotheca apud Serapeum cum ipsis Hebraicis literis exhibentur: & Chrysostomus in orat. 1. adversus Judæos:* Prior igitur à *Philadelpho* primum exstructa est, qui centum millia librorum collegisse dicitur *ab Eusebio in Chronic. pag. 52, Græcorum excerpt. & a G. Cedreno.* Post a fecutis Regibus aucta, contendentibus *Ptolomæis,* ne ab *Attalidis* eo studio vincerentur, septingenta voluminum

num millia habuit, ut præter Agellium & Marcellinum, scribit *Isidorus l. VI. Originum.* v. *H. Valesii Annot. in l. XXII. Marcellin. c. 16. f. 343.* Magis tamen illam illustrarunt insignis eruditionis atque sapientiæ viri ejusque cives, quos inter excelluit Philo Judæus, Apion Grammaticus, quem Tiberius Cymbalum mundi appellavit, Didymus Grammaticus, Claudius Ptolomæus, Appianus Historicus, inde Alexandrinus dictus, Origenes, Clemens Alexandrinus, Athanasius, Cyrillus, Didymus cæcus, & alii ex historia literaria non ignoti viri. confer *Thoma de Pinedo Observat. in Lib. Stephan. de Urbib. f. 6.*

§. X.

Partes istius *Musei* a Strabone itidem nominantur: ut porticus seu ambulacrum, (græce *ἑπιπαιθεῖον*), quale veteres in usu habuerunt. Primæ namque gymnasiolorum partes porticus fuere exedris seu cubilibus apertis plenæ, in quibus Philosophi, Rhetores, Mathematici, imo omnium disciplinarum cultores disputando, legendo ac docendo exercebantur. Plenius de porticibus Gymnasiolorum egit *Mercurialis l. I. cap. 6.* In universum hoc patet, porticus in gymnasiis partim philosophorum exercitationibus, partim etiam deambulationibus fuisse destinatas: unde & Stoici Porticenses vel Porticani quasi dicuntur, τὸν ἑπιπαιθεῖον *Cicero ad Herenn.* deambulationem vel ambulationem vocat: nam &

B

actum

actum ambulandi notat apud *Xenoph.* in *Sympos.* ἐξάνιστον, οἰς ἐπιπᾶτον, surrexerunt ad deambulationem. *Plato* in *Phedr.* pro disputatione philosophica usurpat: κατὰ τὰς ὁδὸς ποιῆσαι τοὺς ἐπιπᾶτους. Sed hic locum exercitationis significat: unde ἐπιπᾶητικοὶ Φιλόσοφοι, vel ἔκ τ᾽ ἐπιπᾶτες, h. e. philosophi, qui ut *Aristoteles*, deambulando docebant.

§. XI.

Præter porticus, ἐξέδρα in Museo hoc allegat *Strabo*. ἐξέδρα vero a sedium vel sesitandi commoditate dicitur. Hujus generis loca in prima gymnasiorum apud Romanos parte philosophis aliisque humanioris literaturæ professoribus, vel animi reficiendi, vel conferendi gratia inferviebant; & nihil aliud erant, quam loca disputationum, & cellæ studiorum. ἐξέδρα enim apud Græcos ut plurimum cellam ad colloquendum, aut meriandum, in qua frequenter sedes, vel anaclinteria & grabatuli erant, significat. *Xenophon* vocat πασάδας. Tales ἐξέδρα; etiam *Cicero* in villa sua Tusculana habuit: Sic enim ille ad *M. Fabium Gallum*, *Lib. VII. ep. 23.* *Exbedria* quedam mihi nova sunt instituta in porticula Tusculana, ea volebam tabellis ornare. *Clarius Vitruvius l. V. c. 9.* constituuntur in porticibus exbedra spatiosa, habentes sedes, in quibus philosophi, retores reliquique, qui studiis delectantur, sedentes disputare possunt.

§. XII.

§. XII.

Maxima pars *Musei* hujus *Straboni* l. c. οὐκ ἐμεί-
 γας appellatur, quod plura conclavia, quibus mag-
 istri & discipuli recipiebantur, atque commune
 σὺσσίτιον seu convictorium contineret. Omnes enim
 ibi excipiebantur literati, qui studiorum causa eo
 ex orbe terrarum venerant. Redacta vero Ægy-
 pto in provinciæ formam, non minore liberalita-
 te doctos ibi Augustus, Tiberius, cæterique prin-
 cipes foverunt. Extat & *Tyanæi Apollonii* Epistola
 missa τοῖς ἐν τῷ Μυσεῖω σοφοῖς, quorum fama latissime
 percrebuerat,

§. XIII.

Ordo nos inde ducit ad *incolas*, & *Συσσίτες* seu
condictores hujus *Musei*; qui a *Strabone nostro* Φιλο-
 λόγοι αἰδρες appellantur. Quo nomine ipsos viros
πολυμαθεῖς, qui animo velut orbem scientiarum &
 artium complectuntur, notari, verisimile videtur.
 Nam *polymathia* juxta *Tzezem, Histor. Chiliad. XI.*
sect. CCCLXXVII. ὁ κύκλος τὸ συμπέραςμα πάντων τῶν μα-
 θημάτων, *circulus est conclusio omnium disciplinarum.*
 Ac licet *Philologus* vulgari usu is dicatur, qui artes
 illas liberales notissimas, Grammaticam, Rhetori-
 cam & Metricam cum historia callet; antiquis ta-
 men *Philologus* erat, qui præter has artes etiam
 Philosophiam veram, quæ ideo & *regina dicta*
 est, intelligeret. v. *Wouveri libr. de Polymath. c. XV. &*
G. I. Vossii libr. de Philologia.

B 2

§. XIV.

Et sane ex epistola *Tyanei* jam allegata, & a *Vitruvio* l. VII. c. 1. memoratis eruditorum certaminibus ibi institutis apparet, omnis generis eruditos, istoc *Φιλολόγων* nomine a Strabone comprehendi. Ita *Plutarchus* *Sympos. 1. problem. 1.* Agathonis convivium plures habuisse, scribit, *Φιλολόγους*, Socrates, Phœdros, Pausanias: Et Lucullo, in cujus Bibliothecam, quam τῶν μυστῶν καταλόγιον vocat, omnes Græcos convenisse narrat, ipsum Lucullum solitum συνοχολάζειν τοῖς Φιλολόγοις. *Vitruvius* l. IX. c. 3. postquam de Attio, Lucretio, Cicerone & Varrone locutus: non minus, inquit, etiam plures Philologi, cum Græcorum sapientibus multa deliberantes, secretos cum his habere videbantur sermones. *Ammianus Marcellinus* l. xxii. cap. 16. quando Alexandriae amplitudinem describit, *Bruchion*, h. e. locum, ubi juxta *Is. Casaub.* in not. ad *Spartiani* *Adrian.* Cap. XX. Museum fuerat, allegat, idque diuturnum præstantium hominum domicilium fuisse, ait. Pro *πορχεῖον*, h. e. πὸρὰ ταμείον, corrupte *Βρύχειον*, latine *Bruchium* scriptum fuisse ibidem *Casaubonus* animadvertit, *Salmasius* in not. ad loc. *Spartiani* citat, addit: *πορχεῖον* etiam dictum fuisse illud Musarum *περὸ ἄνθειον*, quod in eo servaretur atque conditum esset frumentum ad illam σίτησιν doctorum hominum destinatum. Sunt ergo hic Philologi non tantum Grammatici, sed omnium bonarum artium, scientiarum atque humanitatis periti viri, eruditione præstantes.

Facit hic quodammodo illustrationis gratia le-
pida historia, quam de ludis eruditorum in Museis
narrat *Vitruvius* l. VII, c. I. Reges, ait, *Attalici* ma-
gnis *Philologorum* dulcedinibus inducti, cum egregiam
bibliothecam *Pergami* ad communem delectationem insti-
tuisent, tunc idem *Ptolomeus* infinito zelo cupiditatisque
incitatus studio, non minoribus industriis ad eundem mo-
dum contenderat *Alexandria* comparare. Cum autem sum-
ma diligentia perfecisset, non putavit id satis esse; nisi
propagationibus in seminando curaret augendam. Itaque
Musis & *Apollini* ludos dedicavit; & quemadmodum
Athletarum, sic communium scriptorum victoribus premia
& honores constituit. His ita institutis, cum ludi adessent,
judices literati, qui ea probarent, erant legendi.
Rex cum jam ex civitate sex lectos habuisset, nec tam cito
septimum idoneum inveniret; retulit ad eos, qui supra
bibliothecam fuerant, & quaesivit, si quem novis-
sent ad id expeditum. Tunc ei dixerunt esse quendam
Aristophanem, qui summo studio summaque diligentia
quotidie omnes libros ex ordine perlegeret. Itaque in
conventu ludorum, cum secreta sedes essent iudicibus di-
stribute; cum ceteris *Aristophanes* citatus, quemadmo-
dum faceret ei locus designatus sedit. Primo poetarum
ordine ad certationem inducto, cum recitarentur scripta,
populus cunctus significando monebat iudices, quod pro-
barent. Itaque cum ab singulis sententia fuit rogata, sex

una dixerunt, & quem maxime animadverterunt multitudini placuisse, ei primum premium, insequenti secundum tribuerunt. Aristophanes vero, cum ab eo sententia rogaretur, eum primum pronunciari iussit, qui minime populo placuisset. Cum autem Rex, & universi, debementer indignarentur, surrexit, & rogando impetravit, ut paterentur se dicere. Itaque silentio facto docuit, unum ex his eum esse poetam, ceteros aliena recitasse: oportere autem iudicantes non furta, sed scripta probare; Admirante populo, & Rege dubitante, fretus memoria, e certis armariis infinita volumina eduxit, & ea cum recitatis conferendo coëgit recitatores plagia sua confiteri. Itaque Rex iussit cum his agi furta (plagii) condemnatosque cum ignominia dimisit, Aristophanem vero amplissimis muneribus ornavit, & supra Bibliothecam constituit. Ita aliud auditores & imperiti iudices; aliud peritus rei literariæ iudex, prolati argumentis, censere solent. Confer Plin. Epist. l. II. ep. 19.

§. XVI.

Cæterum vero meam sententiam de φιλολόγων in Museo Alexandrino sodalitie, doctissimus Conringius de Antiquitat. Acad. dissert. 1. quando Alexandrinam scholam, quam unam pene omnia habuisse, quæ separatim alias docentur, affirmat, stabilit. Nam oratorium & grammaticum non tantum studium ibi floruisse; sed Mathematicas omnis

mnis generis quoque disciplinas ibi suos doctores habuisse publicos, probat, conf. *Ammian. Marcellin. loc. jam citat.* Ea certe fuit Alexandrinæ scholæ in Mathematicis adhuc Christiano ævo, existimatio, ut ab Episcopo illius urbis Paschalem canonem quotannis petere, ipsimet primitivæ Ecclesiæ placuerit; Philosophiæ vero universæ doctorum laus ad sequentia usque tempora propagata est. vid. *Nicephor. l. VI. c. 36. Eusebius de Pantæno agens, Hist. Eccles. l. V. c. 10. & l. VI. c. 19. Docebat, is scribit, Alexandria, cum ex antiqua schola illic constituta esset sacrarium literarum, quæ & ad nostra tempora pervenit.* Hieronymus *l. de script. eccl. c. 36.* etiam Alexandriæ, juxta veterum consuetudinem a Marco Evangelista, semper ecclesiasticos doctores fuisse. Confer *Cassiodori præfat. in libros divinarum & human. Lætion. & Conringi Libr. de Hermet. Medic. cap. 1x.* quo & artem medicam ibi viguisse, tradit.

§. XVII.

Quæ autem olim in Alexandrino Museo agitavit Hadrianus, philologica haut dubie & grammatica fuisse, cum laudato *Conringio* opinamur. Non enim ultra exporrexit sese *Augusti illius* curiosa eruditio; & de his, quæ *Spartianus in ipsius vita cap. XX.* memorat, intelligimus; *Apud Alexandriam, inquit, in Museo multas quæstiones proposui: & propositas ipse dissolvit.* Unde Grammaticos etiam in hac erudi-

eruditorum societate fuisse colligitur; quippe quibus Philologorum nomen præcipue alias tribui affolet.

§. XVIII.

Progrediar nunc ad *subsidia* vitæ, eruditorum in Museo conviventium societati liberaliter destinata: illa *Straboni* appellantur *χρηματα κοινά*, *communes pecunie*, quæ ad istos alendos ex munificentia principum constitutæ erant. Dignum enim gloria principum videbatur, ut qui vitæ contemplativæ in Museo essent dediti, inque usum reipubl. juvenes formarent, publicis etiam proventibus alerentur. Præsertim cum inter eos alumni essent equestris dignitatis viri, qui philosophari non erubescabant: siquidem & præmia proposita, ingenia erecta excitabant, quod exemplo Dionysii Milesii Sophistæ *Philostratus* in *ejus vita* l. 1. f. 524. demonstrat: *Magnis igitur, inquit, honoribus ab illis civitatibus affectus est, quæcunque sapientiam ejus admirantur: Maximis autem ab Imperatore decoratus. Adrianus enim eum non humilium gentium Satrapam designavit. Item inter viros equestris ordinis censerit voluit, & eos, qui in Museo alebantur.* Το δὲ μῦσῆιον, τὰ ἀπέζα Αἰγυπτία ξυνκαλῆσα, ἵδὲς ἐκ πάσης ἡ γῆ ἰδιωγίμους, hoc est *Museum autem Ægyptia mensa erat, quæ ex omni terrarum orbe eloquentissimos quosque viros convocabat.* Nec dubium est, quin munera etiam diligentioribus

ribus & in literario certamine victoribus data sint. Cum *Philostratus in Adriano Phœnice Syro l. II. fol. 585.* memoret; *Marcum Imperatorem Adrianum Sophistam admiratum eo usque muneribus & donis evexisse, ut magnum effecerit.* Vocat autem δωρεὰς publici victus honorarium, prærogativas, immunitates, pontificatus & cætera, quæ viros illustrant; δῶρα vero aurum, argentum, equos, mancipia, & quæcunque divitiarum nomine censentur. Trajanus Imperator Polemonem Sophistam propter merita in rem literariam & publicam Smyrnenfium itidem egregiis muneribus & immunitate etiam a vectigalibus afficeret, teste *Philostrato l. I. in Polem. f. 532.*

§. XIX.

Erat ergo hoc Alexandrinorum velut Prytanæum quoddam, quo viri eruditione præstantes alebantur: inde Αἰγυπτίαν τεράπιζαν vocat *Philostratus*: & Βρυχίων, pro περιχέϊον, *Ammianus loc. supr. citat.* Timon Phliasius, quem Philadelpho carum fuisse ex Laërtio scimus; hoc Museum τάλανον, in Sillis, (fuit enim Sillographus) appellat, teste *Athenæo l. I. c. 19.* eo, quod in isto philosophi tanquam altiles aves, κατὰ πτερὸς οἱ πολυτιμώτατοι, tanquam cavæe inclusi saginarentur:

Πολλοὶ ὑπὲρ βόσκονται ἐν Αἰγύπτῳ πολυφύλων

βιβλιακοὶ χαρσκέϊται ἀπειρετά θεβλιώωντες

Μυσσέων ἐν Τάλαρῳ h. e.

*Per multi pascuntur in Ægypto populosa, pugnantes libris,
ac semper digladiantes Musarum in cavea.* Objicit enim

G

illis

illis λογοδιάρροια (vel λογοδηρία) verborum pugnam,
 item γλωσσαλγία, loquacitatem, ideo τραπεζορήτορας,
oratores mensarios vocat. Sed falsa hæc dicteria Sillo-
 graphi laudem regię munificentię non immi-
 nuunt; licet forte non omnes in illo Museo vi-
 ctu quotidiano digni essent. Timonis enim illius
 dicacitas Epicureismum sapiebat, cujus mentem
 jambi Gręci apud *Athenæum l. VIII. c. 3.* exprimunt:

Τί τὰυτα ληρεῖς Φληναφῶν ἀνω κάτω
 Λύκειον, Ἀκαδημία, ὠδεῖον, πύλας,
 Ἀήρες σοφιστῶν; εἰδὲ ἐν τέτων καλόν
 Πίνωμεν, ἐκπίνωμεν — — — σικῶν;
 Χαίρωμεν &c.

*Quid hæc nugaris, quid sursum deorsum blateras Lyceum,
 Academiam, Odeum, Portas, Sophistarum nugamenta?
 In his pulcherrimum: Potemus, ebibamus confertim ca-
 lices, gaudeamus &c. Quæ Epicureorum notæ a-
 lias voces sunt; sed Alexandrinis Philosophis non
 probatæ.*

§. XX.

Verum satis de liberali eruditorum Alexandri-
 norum convictu. Superest, ut hujus Musei *Pre-
 sidem* vel directorem contemplemur. Is autem
 fuit ἱερεὺς, *sacerdos*: penes sacerdotes quippe & Scho-
 larum & omnis melioris doctrinæ cura fuit, quod
 Philosophiæ maxime essent periti. *Strabone* enim
l. XVII. f. 914. attestante, populus Ægyptiacus uni-
 versus in tres partes distributus fuit, quarum una
 militiam, altera agros coleret; *tertia* sacerdotum
 erat.

erat, Sacerdotes Philosophiam & Astronomiam
exercebant, & cum regibus velut intimioris ad-
missionis conversabantur, summæque erant, (ut
Strabo l. I. f. 21. memorat) dignationis, Autoritas
tamen hæc Strabonis ætate videtur defecisse, Nam
is l. XVII. f. 933. scribit: *Heliopoli domos amplas vidimus,*
in quibus sacerdotes habebant. Hanc enim perhibent olim
sacerdotum habitationem fuisse, hominum philosophia &
Astronomia deditorum: Nunc is ordo ac studium defecit,
nec quisquam nobis tali exercitatione profectus ostende-
batur; sed homines tantum, qui sacrificia curarent, at-
que ritus eos peregrinis commonstrarent. Si vero & fa-
cra studia Alexandria floruerunt, eo minus mi-
rum videri debet, sacerdotem Museo prætuisset,
quo magis hæc sacerdotes decent. Nam ut *Con-*
ringius Dissert. I. de Antiquit. Acad. probat, sapientiæ
omnis subtiliorisque doctrinæ cura solis sacerdoti-
bus apud Ægyptios commissa erat. Neque vero
aliter res sese facile habere potuit; quod philoso-
phiæ, comprimis ejus, quæ in contemplatione
posita est, studia otium postulent liberale, quale
tamen paucis concedi solet. Sacerdotes vero Æ-
gyptii eo affluebant, & soli quidem; ex more il-
lius regionis, unoquoque ad paternum genus vi-
tæ adstricto. Fuerunt enim sacerdotali ordini agri
publici, aliisque largi redditus, ut inter Christianos
Monachis, ipsique una cum suis omnium onerum
immunes, inque summo vixerunt honore. vid.
Diodorum Sicul. l. II. c. 3. Et hi etiam in sacris proces-

fionibus magno ceremoniarum adparatu omnem suam ostentantur doctrinam. Quod *Clemens Alexandrius Stromat. l. VI. f. 456. seqq.* prolixè describit, Unde etiam constare potest, in quibus Alexandrinorum versatæ sint Scholæ. Confer. *Porphyrii, Philosophi Pythagorici, de Abstinencia l. IV. §. 6. pag. 49. seqq.* edit. Cantabrig.

§. XXI.

Existimant aliqui, Aristophanem Musei sæpius memorati etiam præsidem a Ptolomeo Philadelpho fuisse aliquando constitutum. Enimvero ut supra §. XV. ex *Vitruvio* memoravimus, is bibliothecæ tantum præfectus dicitur. Quemadmodum *Epiphanius de mensura & ponderibus n. IX. tom. II. f. m. 166.* de Demetrio Phalereo refert, quod bibliothecæ Alexandrinæ a Ptolomæo propositus fuerit. Quod non immerito *Scaligero* mirum videtur, in *Animadvers. ad annum M. DCC. XXXIV.* Siquidem vera illa sunt, quæ ex *Herimippo Diogenes* refert, cum Ptolomæo Soteri, *Lagi F.* autor fuisset, ut *Eurydices* filiis regnum relinqueret, præterito *Berenicis* filio Ptolomeo Philadelpho; post illius mortem a Philadelpho relegatum, ac postea aspidis morso necatum esse. Sed doctissimus *Petavius* in *Animadvers. in Epiphani locum cit. f. 379.* non equidem adversus tot scriptorum testimonia reluctari audeat; conjecturam tamen suam addit: *Ptolomæus Lagi F.* inquit, *adhuc superstes Ptolomæum Philadelphum*

*pbum filium in regni consortium adscivit. Testatur hoc Theocriti Scholiastes ad Idyll. XVII. Ἰὼν γὰρ, inquit, ἔτι Σωίης ἐκoinοποίησε τῷ Φιλαδέλφῳ Ἰὴν βασιλείαν; Et Justinus libr. XVI. Itaque cum Demetrius Ptolomæo Lagi F. carissimus esset, potuit Philadelphus patre superstite, odium suum vel ulciscendi tempora reservare, atque eodem tempore bibliothecam illam adornans, ejus curam Demetrio Phalereo committere. Conjecturæ illius occasionem Petavio præbent veterum non pauci, qui vel Ptolomæum Lagi F. bibliothecæ, adeoque septuaginta Interpretum editionis autorem faciunt: ut *Ireneus*: vel utri tribuenda ista sint, addubitant: ut *Clemens Alexandrinus Stromat. 1.* vel denique ab ambobus, patre simul ac filio, procuratum istud existimant. Apud *Eusebium l. VII. Hist. c. λβ.* Anatolius de Aristobulo, uno ex septuaginta senioribus loquens: ὅς ἐν τοῖς ἑβδομήκοντα κατειλεγμένῳ τοῖς τὰς ἰσθῆς καὶ θείας ἐβραίων ἐρμηνύουσι γραφὰς ἀπολομαίῳ Ἰῶ Φιλαδέλφῳ, καὶ τὰ τὴν πατρὶ.*

§. XXII.

Verum ut sunt rerum & operum humanarum fata inconstantia; ita quoque Museum hoc toto orbe celeberrimum iis obnoxium fuit. Bello enim Alexandrino, quod Cæsar dictator gesfit CCCC. millia librorum hujus bibliothecæ arsere, ut scribit *T. Livius* apud *Senecam de Tranquillitate*, & *Orosius l. VI.* Non tamen universam illam bibliothecam

conflagrasse, quod plerisque persuasum est, *H. Valesius in not. ad Ammian. Marcell. lib. XXII.* putandum censet: cum Aphthonius in descriptione arcis Alexandrinæ, bibliothecam publicam in arce fuisse testetur. Museum tamen nondum destructum fuisse, præter alia testimonia de Cæsarum Romanorum erga illud collegium favore, *Marcellini locus supra adductus, libr. XXII.* evincit; cum Alexandria Aureliano imperium agente, dirutis mœnibus, amiserit regionis maximam partem, quæ *Bruchion* appellabatur. Hoc vero Museum fuit, aut illi loco inclusum erat. Atque sic tertio, post Christum natum, seculo ad finem vergente, Museum istud fata sua ultima expertum esse videtur. Ac etsi postea *schola Alexandriae* Christianis etiam scriptoribus memorata fuerit non incelebris; ut seculo quarto studiorum omne genus Alexandriae floruerit; sine tamen seculi quinti pristina illa laus scholæ quoque exspiravit. Manifestum illud est ex iis, quæ circa initia ejus Dialogi, quem *Theophrastum* inscripsit *Aeneas Gazæus*, a *Casparo Barthio* latine redditus leguntur.

§. XXIII.

Nunc ex antea dictis demonstrare possemus, *Museum* illud *Alexandrinum* cum monasteriis, scholis & Academiis a Christianis extructis, & principum liberalitate dotatis, multa habuisse cōmunia. Enimvero hæc opera multo prolixiorē videtur requi-

requirere tractationem, quam quæ a me nunc tempore excluso infumi potest. DEUS autor omnium sapientiæ & dator, scholas, quæ officinæ sapientiæ sunt, earumque magistros, Statores ac ephoros servet, *Spirituque suo* regat, ut juvenus ad nominis sui gloriam unice erudiatur, ipsique in *Ecclesia & Republ.* ministeria, quibus præparatur, præstet saluberrima!

COROLLARIA.

1.
Boni Principis est, Musæa & scholas fovere.

2.
Scholæ in republica sunt necessariae.

3.
In scholis opus est non tantum idoneis magistris, sed & ephoris prudentibus.

4.
In scholis vitæ utilia tradenda.

5.
Scholarum immunitas ab oneribus publicis, jure gentium nititur.

6.
Scholarum multitudo reipublicæ noxia est.

7.
Societates litterariæ reipublicæ utiles sunt.

8.
Bibliothecæ publicæ in usum scholarum constituendæ sunt.

9.
Bibliothecarii munus non vile putandum est.

10.
Prudenter Aristippus apud Diogenem interrogatus, quænam in scholis discenda? respondit: *ea, quibus cum (adolescentes) viri fuerint, utantur.*


Viro - Juveni eximio
JOANNI KEILHACKERO,
Magisterii Candidato dignissimo,


S. O. P.


ADAMUS RECHENBERG.



Schediasma tuum de Museo Alexandrino, cum relegendum exhiberes, consilio meo & moderatione usus, mihi perplacuit; non, quod illi nihil addi, aut demi etiam queat; sed quod argumentum hoc te cum primis dignum existimarem. Nam ut antihac ex Philosophia & historia civili jam industria documenta non indocta publicasti: ita recte facis, quod in historia litteraria quoque operam insumere sustinueris: cum in hac studiorum parte maxime etiam eos versatos esse oporteat, qui se scholae ministerio preparant. Quod pro ingenii ductu, te facere intellexi. Facit enim illa multum ad bonorum, qui in Museis & scholis explicantur, autorum illustrationem. Nec dubium est, quin in Alexandrino Museo ipso hac studii pars viguerit: cui adjuncta bibliotheca tot eruditorum ingeniorum monumentis referta maxime inservit. Equidem, quod jam monui, plura lectu forte non injucunda schediasmati tuo inseri potuissent; nisi tempore excluso tibi brevitatis nunc placuisset. Quapropter & ego in hac tua voluntate acquiescere volui; DEUM precatus, ut benignos ac faventes Patronos excitet, qui destinata tua laudabilia ex voto juvent atque secudent. Vale, Lipsia VII. Nov. M. DC. IIC.







entia in mulieribus, sive de erudita scientia in-
 t, sive quod verisimilius est, de naturali inge-
 a tamen nulla audacior esset dicta a quoquam
 vincere erroris ac temerarii asserti possint vide-

XVI.

, dum ad ipsum, quanquam tenuem & rarum
 orum recensum altera Dissertatione progredi lice-
 superest, cum nequidem ad sacra studia legis-
 mulieres admittere velint suas Judæorum Docto-
 ar magnum aut qualemcunque saltim profanæ
 atum ab iisdem nobis promittamus; præsertim,
 alieno sit animo tota gens Ebræorum a doctri-
 eratura Græca Latinaque non modo humaniori
 losophia addiscenda, satis superque constat, &
 die certe, discedas, uti vix millesimus quisque
 os cætera Judæos vel primæ elementa aut sa-
 rudimenta teneat, nemini cum ipsis con-
 esse potest; magno quidem suo suæque con-
 is impedimento & singulari, ut arbitror, di-
 cicio, quo fieri solet, ut quæ a nostris adversus
 nque scribuntur, (non satis laudabili consilio)
 clausorum Librorum, ut prædictum est ab Es-
 int, quos nec evolvunt ac legunt nec legere
 inus intelligunt aut in animum admittunt; At
 nationis dedecore, quippe quorum sapientiam
 n orbi ad invenienda disciplinarum variarum se-
 a eadem præluxisse non postremæ fortis Viro-
 l sententia scriptis haud proletariis comprobata;
 et Judæis, quorum aliquis omnem sapientiam
 ganorum לקט ופיאה שהניחו להם חכמי

